nescioqui senex venit modo: ellum, confidens, catus.

|| *Confidentia*, *constantia*. M. Tullius de Republica
lib. III (42): 'duas sibi res, quominus in vulgus et in 25
foro diceret, confidentiam et vocem, defuisse'. — Naevius
in Danae (4):

excidit orationis omnis confidentia.

Plautus in Amphitryone (836):

quaé non delinquit, decet
audacem esse, confidenter pro se et proterve loqui. 30

CONSTERNARI significat deici. || *Consternari* rursum
erigi. Pacuvius in Periboea (284):

consternare, anime, ex pectore hac † et volvere
consilium subit † omnes quod † denata est modo
qui pacto inimicis mortem et huic vitam offeras. 35

idem Dulorestes (155):

unde exoritur? quod praesidio fretus? auxiliis quibus?
quod consilio consternatur? qua vi? cuius copiis? ||

24 Conf. const.; 31—32 Const. sign.—erigi; 37—3 Pac.
quo praes.—cursus.

23 (nescioquis *B ex corr.*) || ueni modo *LA^A* (modo venit
B cum codd. Ter.) || tellum *L*: sellum *A^A* || 25 in v. prodiret
et *Mu.* || 26 dicere: *corr. B^A* || 29 deliquit *E ante corr.*: deli-
quid (-quit) *codd. Pl.* || 30 pro se et proterve (propterve *EB¹*)
loqui post v. 31 deici: *corr. Pius* || 33 animae *codd.*: anime?
(interrog.) *Mu.* || expectora *Voss.* || hanc et v. *A^A*: aude ecv.
Ribb. || 33—34 fort. consternare, anime, ex pectore hanc
exvolve rem, | consilium subito re quod e nata est modo ||
34 subito, mens *Schegk.* (mens, *vocat. Ribb.*): subitum, res
Madv. Advers. II, 661 || quod enata *Madv.*: quod enatum est
Voss.: quo deitata est *On.*: quod conata est *Scal.*: fort. quo
delata est || 35 efferas *LB^A* || 38 -etur *Mu.*

- 1 CVRRICVLVS, ut consuetudo fert (a curru diminutio est),
dicitur brevissimum vehiculi biroti genus. || Curriculus,
cursus. Varro in epistula Iuli Caesaris:

quém simul ac Romam venisse mi ádtigit auris nuntius,
5 éxtemplo rus in curriculum cóntuli properé pedes.

CALVMNIA est malitiosa et mendax infamatio. || Calumnia
rursum calliditas. M. Tullius de Republica lib. III (9):
'ut Carneadi respondentis, qui saepe optimas causas ingenii
• calumnia ludificari solet'.

- 10 CALIDVM est fervens. Vergilius Aen. lib. IX (414):
volvitur ille vomens calidum de pectore flumen.

|| Caldum, citatum et velox. Varro περί κεραινοῦ (411):
'cum dixisset Vitulus, ecce

tibi caldis pedibus quídam naviculárius

- 15 semústilatus ínrumpt se in cúriam.'

|| Calidum, ferox et inconsultum. M. Tullius de Officiis
lib. I (82): 'sic reperias multos, quibus periculosa et
calida consilia'.

CAELVM est deorum domicilium. Vergilius Aeneidos
lib. IV (247):

caelum qui vertice fulcit.

- 20 || Caelum rursus aer. M. Tullius de Deorum Natura
lib. II (42): 'aptiora eorum, qui terras incolunt eas,

37—3 Pac. quo praes.—cursus; 6—10 Cal. est mal.—fervens;
12 Cal.—velox.

1 Curriculis *LA⁴BA (= G)*: -lum *DA*: corr. *E Gen.^s* ||
curri (*Gen.¹*) vel curro (*B¹*) *AA* || 2 uiroti om. *DA* || 3 ep. ad
Iulium Caesarem *Mu.* || 4 venissem *LB⁴* || 5 exemplo *B⁴* ||
rus *On.*: eas: meos *Gulielm.* || 6 post mendax inf. stant 270. 33—5
(Conv.—tollí conv.) || 7 *II*: corr. *Maius* || 8 respondeatis: corr.
codd. quattuor Vaticani, auctore Maio || 10—11 cf. 311. 10 ||
12 C. autem cit. *DA* || (uerox *Gen.¹*) || 15 iniuriam *A⁴*: in-
iuria (?) *Mu.* || 16—17 (cons.) post 23: corr. ed. princ. || 16 Calli-
dum *B⁴* || 17 callida *B⁴* || cons. quietis et cogitatis splendida
et maiora videantur *Cic.* || 21 altiora || incolant *Cic.*

in quibus aer sit purus ac tenuis, quam illorum, qui utantur crasso caelo atque concreto'

CONTENTVS dicitur cui res etiam parva abunde est.

Vergilius lib. VII (736):

25

patriis sed non et filius arvis
contentus. ||

Terentius in Eunuchō (121):

1

quia
neque tu uno eras contenta neque solus dedit.

Lucilius lib. XXX (15):

heis te versibus interea contentu' teneto.

5

M. Tullius ad Brutum (fr. 5): 'sic igitur facies et me aut amabis aut, quod contentus sum, diliges'. — idem de Officiis lib. II (43): '[in] brevitatis causa familia contenti erimus una'. || Contentum dicitur extensum. Vergilius lib. V (513):

tunc rapidus, iamdudum arcu contenta parato
tela tenens.

10

Lucilius lib. XXX (110):

hic ut muscipula contenta ac scorpio' cauda
sublata.

|| Contentum, conligatum, coniunctum. Vergilius Georg. 15 lib. III (536):

contenta cervice trahunt stridentia plaustra.

24 Cont.—est; 1—3 Ter.—contenta; 8—16 M. Tull. in brev.—plaustra.

22 rursus ac tenues || 22—23 qui tantur *L*¹ *A*⁴ || 5 his *Gulielm.*: et is || 6—7 cf. 421. 29 (s. v. amare et diligere) || 7 ut am.: corr *H*³ || quid (qui *Cant.*) contendi (-tus *H*⁵) sum *codd. h. l.* || quo *ed. a.* 1476 || diligens *L B*⁴ || 8 in *del. ed. princ.*: sed b. c. *Cic.* || 9 post una stant 258. 20—28 (legas), tum 257. 46 (Comp.)—48 || 9—19 post 265. 34 || 10 hunc: corr. *Me.* || rapidum *D*⁴ || paratu *D*⁴ || 12—14 cf. 181. 30 (s. v. tenta); 385. 33 (s. v. sublatus) || 13 atque || caudas *L A*⁴.

264. 265 M.

|| Contentum, continuum, perseverans. Cicero Tuscularum lib. V (97): 'Socraten ferunt, cum usque ad vesperum contentius ambulet quaesitumque esset ex eo, cur id faceret'.

20 COGERE, conradere. Varro in Eumenidibus (126):

furando tamen, ac morbo stimulatus eodem,
ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi.

Cogere est urgere. M. Tullius de Officiis lib. III (55):
'Diogenes contra: «num te emere coegit, qui ne hortatus
25 quidem est?»' — Terentius in Eunuchō (389):

"iubesne?" — "iúbeo, cogo atque ípero."

Cogere, mollire, subigere. Varro Virgula Divina (567):
sed pancarpineo cibo coacto
libamenta legens caduca victus.

30 || Cogere, in unum colligere. Sisenna Historiarum lib. IV (88): 'submoti et intra moenia rursum coacti'.
— Cicero Tuscularum lib. I (43): 'caelum hoc, in quo nubes, imbres ventique coguntur'. — Terentius in Heautontimorūmeno (145):

quási talenta ad quíndecim

35 coégi.

M. Tullius ad M. Catonem (ad Fam. XV, iv, 2):
'coactoque in unum exercitu || castra in Lycaonia apud
1 Iconium faceret'. — Vergilius in Bucolicis (VI, 85):
cogere donec oves stabulis.

23 — 25 Cog.—est; 30 — 33 Cog.—coguntur.

18—19 ad epyrum (-ir) (ephyrum *L*) || 19 esse *A*⁴ || quare *codd. Cic.* || facere (*corr. H⁸ B*) || 20—22 *cf. 392. 5 (s. v. stat, plenum est)* || 21 a m. *Lachm. comm. Lucr. p. 85* || 22 periculi *A*⁴ *L*² || 24 nimium temere *B*⁴ || 26 nubesne *A*⁴ || 27—29 *cf. 332. 15 (s. v. legere, colligere)* || 28 parc. *L* || 29 vetus *codd. h. l.*: veris *Scal.* || 33 imbres *om. A*⁴ *D*⁴ || 1 conium *B*⁴ || 2 *cf. 381. 19.*

Lucilius lib. XXVI (39):

rauco contionem sonitu et curvis cogant cornibus.

|| Cogere, mulgere. Vergilius in Bucolicis (III, 98): 5

cogite oves, pueri si lac praeceperit aestus,
ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

|| Cogere, stringere. Vergilius Georg. lib. IV (35):

nam frigore mella
cogit hiemps eademque calor liquefacta remittit. 10

|| Cogere, inpremere, coartare. Vergilius lib. VII (509):

quadridam quercum cuneis ut forte coactis
scindebant.

CLAVDERE significat includere. Vergilius Georgicon
lib. III (214):

aut intus clausos satura ad praesepia servant. 15

|| Claudere rursus obsistere. Vergilius Aen. lib. X (377):

ecce maris magna claudit nos obice pontus.

|| Claudere, circumire. Vergilius in Bucolicis (VI, 55):

claudite, nymphae,
Dictaeae nymphae, nemorum iam claudite saltus, 20
siqua forte ferant oculis sese obvia nostris
errabunda bovis vestigia.

CITVM, celer. Sallustius in Catilinae Bello (15, 5):
'citus modo, modo tardus incessus'. || Citum, divisum

5—10 Cog.—rem.; 23—24 Cit.—incessus.

4 contentionem $A^4 L^2$ || e(?) *Mu.* || 8 str., coartare *Mu.* ||
10 color $L^1 A^4$ || 11 coaptare A^4 : ad v. 8 transp. *Mu.* ||
12 et || 17 obicere $L^1 A^4$ || 20 dictae A^4 || 21—22 cf. 103. 10 ||
23 Cit. incitatum, celer *Mu.* || celerem D^4 24 C. incitatum d.
(d. m *Gen.*) A^4 : inc. ad v. 23 transp. *Mu.*

265. 266 M.

25 vel separatum: unde et oscitare dictum est. Vergilius Aen. lib. VIII (642):

haut procul inde citae Mettum in diversa quadrigae distulerant.

CITARE est vocare. M. Tullius in Verrem (II, II, 98): 'citāt reum: non respondit; citāt accusatorem'. || Citare, 30 incitare, provocare. M. Tullius de Divinatione (II, 5): 'quorum studio legendi non scribendi studium vehementius in dies citant?' || Citare, laudare. M. Tullius de Officiis lib. I (75): 'citeturque Salamis clarissimae victoriae, quae anteponatur consilio Solonis'. ||

1 CADERE est ruere. Vergilius Georg. lib. I (109):

illa cadens raucum per levia murmur saxa ciet.

|| Cadere, occidere. Vergilius Aen. lib. II (426):

5 cadit et Ripheus, iustissimus unus qui fuit in Teucris.

|| Cadere, evenire. M. Tullius de Officiis lib. III (14): 'et, ut idem dicunt, omnes numeros habet nec praeter sapientem cadere in quemquam potest'.

10 CAPESSERE, perficere. Vergilius Aen. lib. I (77):

mihi iussa capessere fas est.

Plautus in Aulularia (590):

in erum matura, in se sera cōdecet capessere.

28 — 33 Citare — vict.; 10 — 11 Cap. — est.

25 — 27 cf. 284. 22 || 29 citat r. *L*¹ *A*⁴ || 31 studium || non] meum *codd.* Cic.: nostrum *Mu.* || 32 suscitant *L*: incitatur *codd.* Cic.: suscitatur *Mu.* || 33 psalmis || cl. testis vict. Cic. || 34 anteponantur *LA*⁴ || post h. versum stant 264. 8 — 19 (Cont. — faceret) || 7 — 8 (hab.) cf. 353. 3 || 8 omnes] ob *codd.* h. l. || 10 perferre *D*⁴ *B*⁴ (= *G*) || 13 se rerera *A*⁴ (= *Gen.*).

|| Capessere, inmittere. Plautus in Asinaria (158):
quó magi' te in altúm capessis, aéstus te in portúm refert. 15

|| Capessere, recipere. Plautus in Amphitryone (262):
nunc pégam eri imperium éxsequi et mé domum capéssere.

COMMODYM, sicuti plerumque, utile. || Commodum,
aptum, conveniens. Vergilius lib. XI (522):

accommoda fraudi. 20

|| Conmodum, integrum, totum. Lucilius (III, 6):

bis quina octogena videbis
conmoda at e Capua quinquaginta atque dúcenta.

Plautus in Asinaria (725):

vigínti argenti cónmodas mínas, eius quas dem mátri. 25

CANDET, ignitum est. M. Tullius de Officiis lib. II (25):
'candenti carbone adurebat capillum'. || Candet, candi-
dum est. Vergilius Aen. lib. IV (61):

candentis vaccae media || inter cornua fundit. 1

Varro *Γνωθι σεαυτόν* (203):

candéns córpore taurús Triviaé lúmine Lúnaé.

CASTVM, sine lubricinis et turpitudinis nota. Vergilius
Aen. lib. II (Georg. II, 524): 5

casta pudicitiam servat domus.

|| Castum, religiosum. Vergilius lib. VI (661):

quique sacerdotes casti, dum vita maneret.

16 Cap. recip.; 18—19 Comm. sicuti—conveniens; 26—1
Cand.—fundit; 4 Cast.—nota; 7—8 Cast.—maneret.

14—15 cf. 247. 15; 381. 37 || 17 percam *LB^A* || exequi
codd. Pl.: persequar || 19 XII || 22 vis *L¹A^A* || quin (qui in *A^A*)
actogena (oct. *G¹B*): corr. *Scal.* || videb *A^A* || 23 c. te: *correx*i:
c. tunc *Mu.* || capu *A^A* || trecenta (CCC) *Mu.* || 25 commodas
Pl.: -da || huius *Pl.* || 27 carb. sibi adur. *Cic.* || 3 vel *anapaestice* ||
trivio: corr. *Oehler. post ed. pr.* || 5—6 cf. 440. 4 || 5 Aen. * * *
Georg. Mu. || 7—8 cf. 440. 6 || 8 manebat *codd. Verg.*

Varro Gerontodidascolo (181): 'ergo tum sacrae,
10 religiosae castaeque fuerunt res omnes'. — idem in Eumenidibus (119):

nam quae venustas hic adest gallantibus?
quae casta vestis?

|| Castum, a furtis et rapinis apstinens. Varro Andabatis (27):

nec manus visco tenaci tinxerant viri castas.

15 || Castum, suave, iucundum. Varro Parmenone (394):
demittis acris pectore luctus cantu castaque poesi.

CENSERE significat existimare, arbitrari. Accius Eurysace (344):

. nam ea oblectat spes aerumnosum hospitem,
dum id quod miser est, clam esse censet alteros.

20 Naevius Poenici Belli lib. VI (45):
censet eo venturum obviam Poenum.

Cassius Hemina Historiarum lib. II (16): 'censuit
sese regem Porsennam occidere'. — Quadrigarius Annali
lib. VI (59): 'ne nos ad certationem censeas haec in-
cepisse'. Censere, suscensere. Varro Caprino Proelio,
25 περὶ ἡδονῆς (72): 'ne vobis censeam, si ad me referretis'.

13 Cast.—abst.; 15 Cast. s. iuc.; 17 Cens.—arb.; 22—23
Sisenna cens.—occidere.

9 sacra (corr. E²) || 9—10 e. t. sacra religio etc. (vers.
hexam.) Bue.: e. t. Romae s. c. (om. rel.) Vahlen., Coniect. p. 7 ||
10 religiose casteque L || 11—12 cf. 119. 4 (s. v. gallare);
386. 35 || 11 namque || his Salmas. || 14 vis contenaci L¹ ||
casta: -tas pro var. lect. Me.¹ || tincta erat v. casta Meinek.
15—16 cf. 240. 41 (s. v. acre) || 16 demittis A⁴ B⁴ || acros L¹ ||
luctus] curas codd. 240 || 17 arbitrare L¹ A⁴ D⁴ || 18 n. e.
dum o. Ribb. || 19 cum Mu. || quo Ritsch. || miseriaest Bue. ||
altero A⁴: -rum Mu. || 21 censet B⁴ || 22 Cass. Hem.] Si-
senna D⁴ || 24 (-one Gen.) || 25 ἡδονῆς (-οση L) || (referetis B¹).

COICERE est iacere. Vergilius Aen. lib. II (544):

telumque inbelle sine ictu
coniecit.

Afranius Simulante (308):

vellem intervenissem ante; nam, ut signa indicant, 30
hi coniecere verba inter sese acius.

Coicere, configere, certare. Afranius Simulante (310):

"te nolum, mater, me praesente, cum patre
coicere." — "non, † sine non vis, mel meum."

Coicere, agere. Afranius Materteris (216): 35

causam coicere hodie ad te volo:
ambon adestis? profuturos arbitror. ||

Coicere, furari, auferre. Afranius Incendio (189): 1

servust mihi Nicasio,
sceleratus, curiosus. is cum filio ei
coiecerat nescioquid de ratiuncula.

Lucilius lib. II (25): 5

quid dicis? cur est factum? quo coicis istuc?

CONTINGERE est tangere. Vergilius Aen. lib. II (239):

funemque manu contingere gaudent.

26 Coic. est iac.; 27 — 28 Virg. telumque — con.; 32 Coic.
colligere certare agere (cf. 35); 7 Cont. e. tangere.

30 signant indicant A⁴ || 31 coniacere L¹: coniacere A⁴:
conicere B⁴ || se: corr. Iun. || 32 configere Me.: colligere ||
33 te add. Both. (praec. te) || 34 non sine om. L || non vis]
novis A⁴ || nolo si tu non vis On.: non si tute non vis Mu.:
nunc sine, etsi non vis Both.: fort. non, si noenu vis, mel
m. . . || 3 curiosus cum A⁴ || ei om. A⁴ || 4 coiecerat Mu.:
coicere ad || latratiuncula (pro lat^{rat}iunc.): corr. Iun. || 6 quo
E ante corr.: quod rell.: quor Mu. in append. || 7 III.

- || Contingere, evenire. M. Tullius *Tusculanarum* lib.
 10 V (15): 'quod non modo singulis hominibus, sed poten-
 tissimis populis saepe contigit'. Ennius Thyeste (308):
 quam máxime mihi hic hódie contigerit malum.

- CONFERRE significationem habet manifestam. M. Tullius
 de Officiis lib. II (2): 'omnis meas curas cogitationes-
 15 que in eam conferebam'. || Conferre, conserere.

Vergilius lib. IX (44):

ergo etsi conferre manum furor iraque monstrat.

|| Conferre, contollere. Vergilius (*Aen.* IX, 690):
 et conferre gradum et procedere longius audet.

- || Conferre, comparare. M. Tullius de Officiis lib. II (6):
 20 'quae conferri cum eorum studiis potest?' || Conferre,
 trasferre. M. Tullius de Officiis lib. II (6): 'ad hoc
 nos studium potissimum contulissemus'.

CONFECTVM dicitur occisum, exanimatum. Vergilius
 lib. XI (823):

hactenus, Acca soror, potui; nunc vulnus acerbum
 conficit.

- 25 M. Tullius de suppliciis (in *Verr.* II, v, 140): 'plagis
 confectum dico a lictoribus tuis civem Romanum ante
 oculos tuos concidisse'. || Confectum, defessum.

Vergilius lib. XI (85):

ducitur infelix aevo confectus Acoetes.

9—11 Cont.—cont.; 13—16 Conf.—monstrat; 19—20
 Conf.—pot.; 22 Conf.—ex.; 25—26 M. Tull.—tuis; 27—28
 Conf.—Acoetis.

9 *add. Me.* || 11 contingit *B⁴ D⁴* || 12 e qua *Bue.* || mihi
 max.: *corr. Both.* || *hod. hic Ribb.* || 16 pudor i. *Verg.* || 18 c.
 manum *Verg.* || procurrere—audent *Verg.* || 22 examinatum *D⁴* ||
 22—23 (pot.) *cf. 377. 33* || 25—27 *cf. 368. 38* || 26 dici *codd.*
h. l. || civem Romanum *Cic.: P. R. (pro C. R., ut in 369. 1;*
271. 26) || 27—28 *cf. 283. 9.*

Lucilius lib. XXVI (27):

tūm doloribūs confectum cōrpus animo obsistere. 30

M. Tullius de Officiis lib. II (2): 'nec me angoribus dedidi, quibus eram confectus'. || Conficere, frangere.

Lucilius lib. XXVIII (XXIX, 35):

malo hērcle vestro cōfectores cārdinum.

|| Conficere, colligere. || Terentius in Phormione (38): 1
.. id ut conficerem. confeci: ádfero.

M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I (fr. 5): 'in singulas tegulas inpositis [sescenti] sescenties confici posse'. — et in Verrem actione II (1, 138): 'permagnam eum 5 dicere ex illa re pecuniam confici posse'. — Lucilius lib. XXVI (84):

† non te multitudinem tuórum, quam in album índidit tua dēxtra, confecit sibi.

|| Conficere, facere. Terentius in Phormione (258):

bonās me absente hic cōfecistis nūptias. 10

M. Tullius in Hortensio (88): 'ea facultas maioribus nostris erat, qui confectis senatusconsultis'. — et Tusculanarum lib. I (22): 'nihil est enim apud istos, quod non eorum turba conficiat'. || Conficere, explicare. M. Tullius de Officiis lib. II (9): 'honestatis pars confecta 15

31—32 M. Tull.— conf.; 9—10 Conf.—nuptias; 14—16 Conf.—notissimam.

32 dedi *D*⁴ || 2 id ut c. *Ter.*: aut c. (a pro it) || conficiat fero || 4 inpotis *L*¹ || sescenti *om. L A*⁴: sescentis *C. F. Mueller.* || sescenti et *L ante corr.* || 6 exiliare *L*¹ *A*⁴ || 7 nonne *Duebner.*: fort. nocte || 8 indidit (indit *L*¹) a dextera: *correxi*: indidisti *d. Duebner.* || conficis ibi: *correxi*: confeci tibi *Duebner.* || 13 VI *L*¹ *A*⁴: V *B*⁴ || quos *L B*⁴ || 14 atomorum t. *codd. Cic.* || 15 honestitatis *L B*⁴.

269. 270 M.

est, quam tibi cupio esse notissimam'. || Conficere, consumere, finire. Terentius in Phormione (839):

ne cum híc non videant mé, conficere crédant argentúm suum.

M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. I (fr. 6): 'bellum, ut opinio mea fert, consensu civitatis confectum iam habere-
20 mus'. — Lucilius lib. XXX (50):

conficit ipse comestque.

M. Tullius in Hortensio (81): 'quae est enim confectio valitudinis, quae deformatio corporis?'

CONCEDERE, dare vel permittere. M. Tullius in Verrem
25 actione I (Div. 23): 'da mihi hoc; concede, quod facile est'. — Vergilius lib. VII (305):

concessit in iras
ipse deûm antiquam genitor Calydonæ Dianæ.

Terentius in Adelphis (216):

30 metuísti, nunc si dé tuo iure cóncessisses paúlulum. hui!

Lucilius lib. XXIX (XXVIII, 16):
concédât homini id quód velit; deléniat.

M. Tullius de Officiis lib. III (39): 'si negent, omnia
35 turpia per se ipsa fugienda esse concedant'. Concedere, credere vel consentire. Terentius Phormione (805):

1 numquamne hódie concedés || mihi
neque intélleges?

14—16 Conf.—notiss.; 24 Conc.—perm.; 27 Virg. concessit in iras; 35—2 Conc.—intelleges.

16 qu. quidem t. *codd.* Cic. || 17 ne om. (*praec.* ne) || 19 ferret *L*² *A*⁴: feret *L*¹ *B*⁴: *corr.* Σ || 20—21 *cf.* 81. 30 (s. v. comest) || 21 confecit *codd.* h. l. || 22 enim om. *L* || 22—23 confessio: *corr.* *EH*³ || quae enim confectio est val., quae def. coloris et corporis *Augustin. contra Iulian. Pelagian. IV, 14. 72* || 26 VI *L* *A*⁴ || 28 atiquam *A*⁴ (*non B*) || 31 si nunc *codd.* Ter. || 32—33 *cf.* 278. 11 (s. v. delenitus) || 34 neglegent || 36 vel consistere *A*⁴ *D*⁴ || 1 numquam me hoc die (hodie *D*⁴).

Lucilius lib. XXVII (48):

id concedere unum atque in eo dare quo superatur manus.

|| Concedere, recedere vel cedere. Terentius in Hecyra 5 (597):

hic video me invisam esse inmerito: tempus est concedere.

Afranius [in] Incendio (200):

atque etiam incedit hoc: procul concessero.

Caecilius Titthe (227):

hic dum abit, huc concessero.

10

Cicero Tusculanarum lib. IV (63): 'ut cum magnitudine medicinae doloris magnitudo concederet'.

CONSEQUI significat sequi. Vergilius lib. V (152):

quem deinde Cloanthus

consequitur.

15

M. Tullius de Officiis lib. III (4): 'ex quo intellegi debet illum mentis agitatione *investigatione*que earum rerum quas cogitando consequeretur neque otiosum nec solum umquam fuisse'. || Consequi, adipisci. M. Tullius Epistula ad Caesarem lib. I (1): 'tunc cum ea, quae 20 es ab senatu summo cum honore tuo consecutus'. — idem in Verrem actione I (6): 'quod ego meo labore et vigiliis consecutus sum'. || Consequi, exprimere, definire. M. Tullius ad Caesarem (11): 'extrema vero nec quanta nec qualia sint, verbis consequi possum'.

5—6 Conc.—conc.; 13—15 Cons.—cons.; 19 Cons. adip.; 22—30 M. Tull. quod — conserere.

4 id (vel mihi) c. *Corpet.*: in c. || 6 merito || 7 in om. *L¹ A⁴* || 8 incendit: *corr. Gulielm., Lips.* || 11—12 ut magnitudini *Cic.* || 12 emedicine *L.*: medicae *A⁴* || 13—15 cf. 381. 15 || 17 agitatione quae (*om. invest.*) || 18 cogitandum || 19—21 cf. 320. 1 (*s. v. honor*) || 20 tu cum *codd.* 320: tum cum *C. F. Mueller.* || 21 est ab senatus *codd. h. l.* || honore *L* 23 exp. vel def. *D⁴*.

25 CONSERERE dictum est miscere. Vergilius Aen. lib. II (397):

multaque per caecam congressi proelia noctem
conserimus.

|| Conserere, inserere. Vergilius Georg. lib. II (37):
iuuat Ismara baccho

30 conserere.

[Constituere, instituere.] M. Tullius de Senectute (54):
'non consitiones modo delectant, sed etiam insitiones'.

CONVENIRE, placere, constitui. Sisenna Hist. lib. IV (62): 'signum nactus a Papio, quod inter eos
35 tolli convenerat'. || Convenire, aptum esse. M. Tullius in Hortensio (57): 'nam quod vereris, ne non conveniat nostris aetatibus ista oratio, quae spectet ad hortandum'.
|| Convenire significat obvium fieri. Terentius in Eunuchio (234):

conveni hodie adveniens mei loci quemdam atque ordinis
40 hóminem.

|| Convenire, videre. M. Tullius de Senectute (83):
'neque vero eos solum convenire aveo quos ipse cognovi, sed illos etiam de || quibus audiui et legi et ipse con-
1 scripsi'. — Plautus in Asinaria (274):

aetatem velim servire, Libanum ut conveniam modo.

22 — 30 M. Tull. quod — conserere; 38 — 40 Conv. — hom.

28 Cons. serere *Guietus* || 31 — 32 post 273. 11: *huc traiec. Quich.* || 32 non *E¹*: *om. rel.*: nec *Cic.* || constitutiones *L ante corr.*: constitutiones *rell. (cum L ex corr.)* || institutiones || 33 — 34 post 263. 6 (*infamatio*): *huc traiec. Quich.* || 33 constitui: *corr. Quich.* || 34 papo *LB⁴*: papo (*Gen. ex corr.*) vel popo (*Gen. ante corr.*) vel papippo (*B*) *AA* || quid *AA*: qui *LB⁴*: *corr. Iun.* || 35 actum *LA⁴* || 38 — 39 cf. 324. 17; 359. 9 || 39 q. m. l. *codd.* 359 (*cf. codd.* 324) || 41 — 1 cf. 276. 1 || 42 abeo (*ad eos L*) || 42 — 43 cognovissed *L¹*: -set *AA* || 1 — 2 cf. 72. 17 || 2 servare *BA (= G)*: servare *LA⁴*.

|| Convenire, colligi, coire. Vergilius Aen. lib. I (361):
conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni.

M. Tullius in Philippicis lib. III (5): 'cui quidem 5
hodierno die, patres conscripti, nunc enim primum ita
convenimus'. || Convenire, constare. Terentius in
Phormione (53):

.. conveniet númerus, quantum débui.

|| Convenire, similem esse. Varro Longe Fugit Qui Suos
Fugit (245): 'solus rex, solus retor, solus formonsus, 10
fortis, aecus vel ad aedilicium modium, purus putus. si
ad hunc charactera Cleophantus conveniet, cave attigeris
hominem'. || Convenire, placere, certum fieri. Vergilius
lib. XII (183):

cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
convenit Euandri victos discedere ad urbem.

15

M. Tullius de Finibus Bonorum et Malorum lib. V (86):
'vivendi cupiditate incensi omnes sumus; atque hoc mihi
cum tuo fratre convenit'. || Convenire, interpellare.
M. Tullius in Verrem actione II (1, 126): 'non dubitat
quin, si ipse Verrem convenisset, aequitate causae, auc- 20
toritate sua commovere hominem posset'. — Lucilius
lib. XXIX (117):

haec tum conventus tela insidiasque locavi.

3—4 Conv.—tyr.; 13 Conv.—feri; 16—21 M. Tull.—sua.

3 Conveniri *LA⁴D⁴* || 6 die e pāc *H^s ut vid.*: die pāc
A⁴: d. ēpc *LB⁴* (*i. e.* episcopus!) || 7 conveniens *A⁴* || 7—8
Conv.—deb. *om. A⁴* || 8 convenit—debuit || 11 fortis secus
LB⁴ || modius: *corr. N. Faber* || putis: *corr. Iun.* || 12 huc:
corr. edd. || χαρακτηῖρα Κλεάνθους *Voss. Arist. p. 589* || 13—14 *cf.*
250. 46 || 15 *cf. 250. 39* || 16 mal. et bon. *L¹A⁴* || 17 atque *om.*
codd. Cic. || 19 dubitabat *codd. Cic.* || 20 si *om.* || 21 possit
LB⁴: posse *A⁴*: *corr. E¹* || 21—22 *cf. 340. 28* (*s. v.* locare,
parare) || 21 XXVIII *codd. 340* || 22 hic *I. Dousa* || tu—insi-
diisque (—disque *L¹A⁴*) *codd. h. l.*: tum—insidiaeque *codd. 340* ||
locari *I. Dousa*.

CAEDERE est verberibus dedere. Terentius in Andria (199):

verbéribus caesum te ín prístinum, Dáve, dedam . . .

- 25 M. Tullius de suppliciis (in Verr. II, v, 162): 'caedebatur virgis medio in foro Messanae civis Romanus'.
 || Caedere, excidere. Vergilius Georg. lib. I (173):
 caeditur et tilia ante iugo levis.

Lucilius lib. XXVII (58):

- 30 lígnum caedat, pénsu faciat, aédis verrat, vápulet.

M. Tullius in Hortensio (58): 'aut tibi id ipsum pervertendum fuit, quod tu ne attigisti quidem, aut eius partes quasi membra quaedam caedenda'. || Caedere, occidere vel mactare. Vergilius Georg. (II, 380):

- 1 non aliam ob || culpam Baccho caper omnibus aris
 caeditur.

et Aen. lib. II (266):

caeduntur vigiles.

- 5 Varro in Eumenidibus (125):

Aíax tum credit ferro se caedere Ulixem,
 cum bacchans silvam caedit porcosque trucidat.

|| Caedere, inmolare. Plautus in Aulularia (567):
 caedéndum conduxí égo illum.

- 10 Vergilius Aen. lib. V (96):

caedit quinas de more bidentis.

23 Ced.—dedere; 25—26 M. Tull.—foro; 27—28 Ced.—levis;
 33—34 Ced.—mact.; 4 Virg. ced. vigiles.

23 v. laedere *Quich.* || 26 in m. f. *codd. Cic.* || 27 exc.] scindere(?) *Mu. in append.* || 29—30 cf. 420. 9 (s. v. verrere, mundare) || 29 XXVIII (*H*²) vel XXVI (*G*) *B*⁴ || 6 Aíax tum *Benaëus ap. Passerat.*: maximum || sed || 7 baccha (*seq. s*): *corr. Me.*: baculo *Lachm.* || porcusque *L* || 8—9 cf. 274. 11 || 10 IIII.

|| Caedere, frangere. Vergilius Georg. lib. III (364):

caeduntque securibus umida vina.

M. Tullius in Verrem actione II (I, 69): 'caedere ianuam saxis, instare ferro'. Lucilius lib. XXIX (47): 15
caede ostium, Gnatho! úrgue. restant: pèriimus!

|| Caedere, conmiscere. Lucilius lib. XXX (68):

lana, opus omne perit; pallor, tiniae omnia caedunt.

QVATERE significat percutere. Vergilius lib. VIII (596):

quadripedante putrem sonitu quatit ungula campum. 20

|| Quatit, infestat. Vergilius lib. IX (608):

aut rastris terram domat aut quatit oppida bello.

|| Quatit, excludit. Terentius in Eunucho (358):

"nimirum" — "homó quatietur cèrte cum donó foras."

|| Quatit, movet. Vergilius lib. X (762):

25

at vero ingentem quatiens Mezentius hastam.

CONSTAT, valet, consistit. Lucilius lib. XXVI (86):

trádo ergo alias númmo porro, quód mihi constat cárius.

Cicero Tusculanarum lib. I (42): 'animus; qui si est quattuor horum generum, unde omnia constare dicuntur'. 30

12—15 Ced.—ferro; 27 Const. val. consistit; 30 Cicero quattuor—dicuntur.

12—13 cf. 380. 34 || 14 actione II *B*⁴: actionem *A*⁴: actione I *corr. ex* actione *L* || 15—16 cf. 417. 30 (*s. v.* urgere, insistere) || 15 XXVIII *codd.* 417 || 16 hostium grato *codd. h. l.* || urgere (-gere) istam *codd. h. l.* || 17—18 cf. 462. 25 (*s. v.* pallorem) || 18 (lanae *B*) || fallor *codd. h. l.* || 20 quadripedantem *L A*⁴ || sonitum *L A*⁴ || quate *L*¹ *A*⁴ || 21 VIII *L (cum B)* || 24 istum (-unc) ipsum, *h. codd. Ter.* || 26 medientius || 27 consistit *ad v. 29 transp. Quich.* || 29 Constat, consistit. Cic. *Quich.*

272. 273 M.

|| Constitit dicitur stetit. Vergilius Aeneidos lib. IV (252):

hic primum paribus nitens Cyllenius alis
constitit.

|| Constitit, erectus est. Plautus in Amphitryone (233):

35 . . frémítú virúm; éx spírítu átque anhélitu
nébula cónstát.

Vergilius lib. V (426):

constitit in digitos.

Cicero Tusculanarum lib. I (37 = trag. inc. 75):

40 . . . "ubi rígida constat crássa caligo ínferúm."

|| Constat, compositum est. Lucilius lib. XXVI (24):

1 princípío || physici ómnes constare hóminem ex anima et córpore
dícunt.

Sisenna Historiarum lib. IV (58): 'multitudinem
procul hostium constare viderunt'. || Constat, convenit,
5 manifestum est. M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. II
(fr. 19): 'cum constet Caesarem Lupercis id vectigal
dedisse. quí autem poterat id constare?' — et Tuscula-
narum lib. I (40): 'sive quod a gravioribus leviora
natura repellantur. quae cum constant'.

CONSTITVERE est proponere, definire. Vergilius Aen.
lib. I (308):

10 hominesne feraene,
quaerere constituit.

34—36 Const.—constat; 40 Cicero ubi—inferum; 4—6
Const.—ded.; 9 Const.—definire.

31—33 cf. 353. 23 || 35 et || 37 Constit $L^1 AA$ (= *Gen.*¹) ||
1 animo *Gulielm.* || 6 constat B^4 ; constaret *Halm.* || 8 con-
stat B^4 || 9—11 cf. 258. 17; 290. 29 || 9 proponere LB^4 ; po-
nere ponere (*Gen.*) vel ponere (*B*) AA : ponere DA || III LAA .

|| Constituere, retinere, firmare. M. Tullius de Officiis lib. I (122): 'ineuntis enim aetatis inscitia senum constituenda et regenda est prudentia'. || Constituere, parare. M. Tullius in Verrem actione II (I, 65): 'quod 15 ubi erat Philodamo nuntiatum, tametsi erat ignarus, quantum sibi ac liberis suis iam tum mali constitueretur'. || Constituere, erigere. Vergilius lib. VI (216):

et feralis ante cupressos
constituunt.

COLLIGERE, in unum redigere. Vergilius Aen. lib. V (15): 20
colligere arma iubet validisque incumbere, remis.

M. Tullius in Philippicis lib. VI (7): 'succurrendum est D. Bruto; omnes undique copiae colligendae'. || Colligere, reficere. Cicero in Verrem actione II (II, 48): 'sed manifesto furto perturbatus ubi se collegit'. 25 || Colligere, celare, subpremere. Vergilius lib. XII (491):
substitit Aeneas et se collegit in arma,
poplite subsidens.

|| Colligere, auferre. Lucilius lib. XXX (113):
ruis hoc et colligis omnia furtim.

Plautus in Aulularia (312):

30

quin ipse pridem tónsor unguis dēmpserat;
collégit, omnia ábstulit praeségmina.

14—15 Const. parare; 17—21 erigere—iubet; 26—27 Coll.—arma; 28—29 Coll.—furtim.

12—14 *post 261. 35: huc traiec. Quich.* || 13 *inscia A⁴* || 14 et reg. *Cic.*: exregenda *A⁴*: excredenda *L*: exercenda *B⁴* || ante Const. *stant 270. 31—32* || 16 est *codd. Cic.* || 17 suis lib. *A⁴* || 20 VI || 23 D. Bruto—copiae collig. *Cic.*: de bruto (butro *A⁴*) o. u. coepere colligere || 24 III || 25 tamen—et furto manif. *Cic.* || 28—29 *cf. 380. 8 (s. v. ruere, inruere sine cautela)* || 29 est *L* || 30—32 *cf. 152. 1* || 31 ipsi *codd. Pl.*

CONTINENS est abstinens, integer. M. Tullius ad
 M. Catonem (ad Fam. XV, 3, 2): 'ut, quae copiis et
 35 opibus ferre vix possumus, ea mansuetudine et continentia
 1 nostra, || sociorum fidelitate teneamus'. || Continens,
 coniunctum, continuum. M. Tullius in epistula ad Senatum
 (ad Fam. XV, 2, 2): 'itaque cum exercitu per Cappa-
 dociae partem eam, quae cum Cilicia continens est, iter
 5 feci'. — et in Hortensio (87): 'ne in continentibus
 quidem terris vestrum nomen dilatari potest'.

CVRATVM est sanatum. || Curatum, post laborem
 refectum. Vergilius (Aen. III, 511):

corpora curamus, fessos sopor inrigat artus.

|| Curatum, cum dilectu apparatus. Lucilius lib. XXX
 (XXIX, 87):

10 et circumvolitant ficetulae, turdi; curatis, coci.

CONDVOERE est, sicuti usu, emere. Plautus in Aulu-
 laria (567):

caedéndum conduxī égo illum.

Lucilius lib. XXIX (88):

mángo, non magná mercede, mágno quod condúxeris.

15 M. Tullius de Officiis lib. II (22): 'ut saepe in
 nostra republica videmus, mercede conducti'. || Conducere,
 colligere, convocare. Varro Manio (259):

33 Cont.—int.; 1—2 Cont.—continuum; 5—6 M. Tull. ne
 in—potest; 11 Cond.—usu; 15—17 M. Tull.—convocare.

33 est a. est i. L || 34 catonem catonem L¹ B⁴ || 35 ferre]
 tenere *codd.* Cic.: fort. facere || 1 teneamur (tun- G): -mus *codd.*
 Cic.: tueamur *ed. a. 1471* || 3 exercitum || 4 partem meam
 L¹ A⁴ || ita A⁴ || 5 feci. et in *Me.*: faciet in || 6 est natum:
corr. Me. || 6 perfectum L || 10 ficellae *Mu.* || curati cocis *Mu.* ||
 11 Cond. emere, *dein post Plauti exemplum*, Cond. est sicuti
 usu: *corr. Quick.* || 11—12 cf. 272.8 || 14 mango *Mu.*: magno
 (quod tuetur Keller. V. E. p. 104) || mercedest *Mu.*

máne suscitát; rostrum sub róstra fert, populum ín forum
cónducit.

20

|| Conducere, convenire. Lucilius lib. XXX (13):
et virtute tua et claris conducere cartis.

|| Conducere, utile esse (Lucil. dub. 1):
sólus vero sóli quid re et quaésti conducát scio.

M. Tullius de Officiis lib. III (101): 'stulte? si rei publicae conducebat? potest autem, quod rei publicae inutile sit, id cuiquam civi utile esse?' — idem de Republica lib. I (49): 'facillimam autem in ea republica esse posse concordiam, in qua idem conducat omnibus'. — Sisenna Historiarum lib. IV (77): 'quid in rem publicam suam maxime conducere videretur'.

CONCELEBRARE dicitur commovere. Lucretius lib. I (3):
quae mare naverum, quae terras frugiferentes
concelebras.

|| Concelebrare, diffamare: || dictum a celebritate. 1
Lucilius lib. XXX (7):

multis indu locis sermonibu' concelebrarunt.

CREDERE est fidem habere dictis vel factis. Lucilius
lib. XXVIII (21): 5

Hymnis, velim te mi id quod verum est credere.

19—20 Varro rostra—conducit; 23 Cond. u. esse; 28—29
M. Tull. facillimam—omn.; 4—6 Cred.—credere.

19 sub *Turnebus*: sum || rostra adfert (aff.): *corr. Mu.* ||
21 (convertere *G*) || 22 (e v. *B*, quod tueretur *On.*) || 24 suo: *corr. On.* ||
25—26 quomodo stulte? etiamne si rei p. cond.? *Cic.* || st. lib. 1
(om. *E*¹ ut vid.: liberi *G*) rei p.: *correx*i || 26—27 in. r. p. *codd.*
Cic. || 27 civi *Cic.*: ubi *A*⁴: ibi *L B*⁴ || utilem *L*¹ *A*⁴ || 29 esse
conc. *cod. Cic.*: posse c. *E*¹ || 30 in *Ald.*: om. || 1 diffamare
Lips.: diu amare || 5 XXVIII *Mu.*: XXVII *L A*⁴: XXVI *B*⁴
ut vid. || 6 hynnīs *A*⁴: om. *D*⁴ || te mi *On.*: te: tete *Mu.*

Vergilius Aen. lib. II (247):

ora dei iussu non umquam credita Teucris.

|| Credere, fidei committere. Lucilius lib. XXVIII (24):
10 vitam ac fortunas cui concrediderim meas.

|| Credere [est], servandum commendare. Plautus [in] Aulularia (15):

ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit.

CONMODARE est mutuari. Lucilius lib. XXVII (30):
certa sunt, sine detrimento quae inter sese comodant.

15 M. Tullius de Officiis lib. II (15): 'atque ut dando et accipiendo mutuandisque facultatibus et comodandis nulla re egeremus'. || Comodare, cum comodo dare. M. Tullius ad filium lib. II (2): 'cui ego, quibuscumque rebus potero, libentissime comodabo'.

CAPTARE, capere. Lucilius lib. XXVII (32):
20 quodsi paulisper captare atque observare haec voveris.

COGNOSCERE est audire, aestimare. Lucilius lib. XXVI (XXVII, 33):

rem cognoscas simul et dictis animum adendas, postulo.

Pomponius Sponsa Pappi (167):
pol magi curabo, ubi cognorint, omnes una adsentiant.

9—14 Cred.—comm.; 15—16 M. Tull.—facult.; 17—21 Comm.—aestimare.

8 diei iusso A⁴ (non B) || nonnumquam: (corr. H²EB) ||
10 crediderim D⁴ || 11 est om. A⁴ D⁴ || serv. committere D⁴ ||
in om. L¹ || 11—12 cf. 359. 29 || 12 morte D⁴ || quid mihi in
a. codd. h. l. || 16 metuandisque f. L¹ A⁴: mutuandis f. D⁴:
mutandis que f. codd. Cic. || commodantis L A⁴ || 17 C. c. comoda
d. A⁴: C. commodum dare Mu. || 18 rep. (sic) potero A⁴ ut vid.
(re potero Gen.¹; re perpotero Gen.²: repertis potero B): per-
potero D⁴ || 19 C. c. Captare, observare. Luc. Quich.: fort. C.
animo c. vel C. aure c. || 21—22 cf. 238. 12 (s. v. adtendere) ||
21 XXVII codd. 238 || 22 cognoscat codd. h. l.: corr. H³ ||
23—24 cf. 469. 23 (s. v. adsensit) || 24 pol emagis: pol mage Both.

Terentius in Andria (49):

25

eo pacto et gnati vitam et consilium meum
cognoscas.

Vergilius Georg. lib. I (177):

ni refugis tenuisque piget cognoscere curas.

|| Cognoscere, nosse vel perspicere. Vergilius lib. IX (245): so
venatu adsiduo et totum cognovimus amnem.

idem Georg. lib. II (226):

nunc quo quamque modo possis cognoscere dicam.

M. Tullius in Hortensio (26): 'unde autem facilius
quam ex annalium monumentis aut bellicae res aut omnis 35
rei publicae disciplina cognoscitur?' — idem [et] de ||
Senectute (83): 'neque vero eos *solum convenire aveo* 1
quos ipse cognovi, sed illos etiam de quibus [et] audiavi
et legi et ipse conscripsi'. || Cognoscere, agnoscere.

Vergilius in Bucolicis (IV, 60):

incipi, parve puer, risu cognoscere matrem.

5

M. Tullius de Republica lib. I (inc. 4): 'cognosce
mehercule, inquit, consuetudinem istam et studium ser-
monemque'. — Varro Sesqueulixe (471): 'vereor ne
me quoque, cum domum ab Illo cossim revertero, praeter
canem cognoscat nemo'.

COMPETERE significat quod est honorem vel coniugium 10
vel quidvis aliud adversus alium petere. unde competi-

26—27 Ter. eo—cogn.; 30—31 Cogn.—amnem; 34—36
M. Tull.—cogn.; 10—16 Comp.—competere.

27 cognoscis || 28—29 cf. 411. 38 || 29 ni] non A⁴ (non B) ||
30 prespicere L A⁴ B⁴: prosp. D⁴: (corr. B) || 30—31 cf. 230. 4 ||
31 venati D⁴ || 36 disciplinae (-ne): corr. Gen.³ || et om. E ||
1—2 cf. 270. 41 || eo (sic) ipse omissis mediis codd. h. l. ||
2—3 de q. et audiavi legi (-ge) L¹ A⁴: de q. audiavi et legi
codd. 270 (cum codd. Cic.) || 7—9 cf. 247. 29 || 8 venero codd. 247:
reverero (?) Mu. || 10 quod est om. D⁴ || vel c. om. L¹ || 11 aliud
ed. princ.: aliquid.

- tores, ut saepe. || Competere, par esse vel simile. unde et in aestimatione rerum «hoc illi competit» dicimus. || Competere, rei cuiusque meminisse aut constanter valere.
- 15 Sallustius Historiarum lib. I (136): 'sic vero, quasi formidine adtonitus, neque animo neque auribus aut lingua competere'.

INCIPIT PER D LITTERAM.

- DAMNARE est damno adficere. unde et condemnare dictum est. e contrario nullo damno adfectum indem-
- 20 nem probamus. || Damnare est exheredare. Lucilius Satyrarum lib. XI (22):

Cassiu' Gaius hic operariu', quem Cephalonem dicimu', sectorem furemque, hunc Tullius, inquam, index heredem facit, et damnati alii omnes.

|| Damnari, necessitate constringi. Terentius in Phormione (422):

- 25 tuus est damnatus natus, non tu.

|| Damnare est et morti dare. Vergilius Aeneidos lib. IV (698):

nondum illi flavum Proserpina vertice crinem abstulerat Stygioque caput damnaverat Orco.

Accius Armorum Iudicio (153):

- 30 maior erit luctus, cum me damnatum audiet.

10—16 Comp.—competere; 18—20 Damn.—exheredare; 24—26 vel nec.—dare; 29—2 Acc.—damnatus.

12 ut saepe *om.* *DA* || inde: *corr. DA (cum B)* || 13 dic. h. i. comp. *DA* || 14 constare, val. *Mu.* || aut const. val. *om. DA* || 17 *om. AA* || 19 est *om. L¹* || 19—20 i. ponimus (?) *Mu.* || 22 sectorem *BA* || furiumque: *corr. Scal.* || inquam *Quich.*: quem: Quintus *Lachm.* || 23 facit at da. *Scal.*: fecit, da. *Mu.* || 24 Damnare: *corr. Quich.* || 28 caput] canum *AA* || 29 Damnare, condemnare *add. Mu.* || 30 luc.] hel...tus *L¹*.